



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XC. Moribundus sanatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

Ordinis fuerit, indigno certe religioſa veſte. Is Girondæ in Aragonia ſæculi huius anno vndecimo, ſeu inuidus ſiue incredulus, ſatyram aduerſus S. Ignatium aggreſſus eſt ſcribere, cuius cum partem affectam relegit, miratur ſuam manum, ſuo ab ingenio diuerſam, contraria omnia dictanti ingenio vel malitiæ ſcripſiſſe; nam præter laudes nihil re legebat qui nihil præter probra manui ſuæ dictauerat. Errore igitur factum ſuo id putans, reſumpto ſtylo, quod conceperat mente, denovo contexit; at ecce tunc etiam dictanti ſcelerato, manus propria Ignatij laudes, pro conuiſiis reddidit, ac mirum, quantum ſuis furioſe in cœpta incumbenti, non veniſſe in mentem illam manus, inuito ingenio, operam, non poſſe errori attribui. Repetitâ ergo tertium rabie, eodem ſucceſſu deluſus eſt, ſed nihilominus ſtupido pariter, ſibi que indignanti, dum ſacrilegium integrat, reuulſus calamus in medium cubiculi diſſilit, ipſaque eadem occulta vi intorta eius manus ingentem ipſimet colaphum impexit, quo tandem aliquando pudefactus, & pauens, collegit ſeſe, ſtylumque, & animum erga S. Ignatium mutauit.

Raphaël Valcanerius Ma'oricenſis, quadriennis ægrotus deſtitutione virium interibat. Cibi quatuor iam dies nihil admiferat, fueratque ad ſupremam lætæ ſacro oleo inunctus, vocatus è Societate, qui cum iuuaret vt Chriſtianè moreretur, reliquias ſecum S. Ignatij attulit, & licet expertem rationis, & ſtupentem, iis tamen ducta cruce ſignauit, commendauitque S. Ignatio, quod ipſum, & vxor præſtitit, ſpondens ſi conualeſceret ſe diem S. Ignatij Feſto annuo culturam, daturamque tribus pauperibus prandium. Votum conceperat, & vires ſtatim redire, circunſpicere adſtantes, mentem recipere, moueri, cum tanquam cadauer antea iaceret, febrî denique poſita valere. His ſoror acceptis, magnoperè indidem remedium carcinomati ſperauit, quo erodebatur iam per biennium. Suſcepit ex voto ſacellum S. Ignatij nouemdiali cultu adeundum, illius imaginem ab vno è noſtris patribus acceptam, parti affectæ appoſuit, & inde iam ſibi melius fieri aduertens, paucos intra dies belliffimè valuit.

Benedictum Lopeſium iuuenem, præfectum vnus ex Peruij fodinis, dum fugitiuum requirit mancipium, latrones quinque ex inſidiis inuadunt, equo deturbant, proterunt, vulnerant, pro mortuo relinquunt. Cumque illos primum conſpicatus, enixè S. Ignatium in ſui deſenſionem inuocaſſet, vidit illum ſemper interponentem ſe illorum furori, vibratoſque ictus perinde pallio, vt ſcuti retudentem; ſurgens deinum poſt eorum diſceſſum, veſtes, & pileum multis locis punctim, caſum, forata, & lacera comperit, intacto corpore, ac ne minima quidem punctione præſtricto.

Gandiæ anno ſæculi primo Vincentiæ Cortiæ ſeptenni puellæ, faucës intercluſerat angina, iamque triduo nihil cibi tranſmittens non diu ſuperfutura credebatur; affertur ad eam imago S. Ignatij, quam eius auus ſculptor coronide ornandam acceperat, docetur ſancti opem rogare, ſequè ab eo (vti &

Aduerſus S. Ignatium ſcribens, caſtigatur.

X C.
Moribundum ſanatur.

X C I.
Aduerſus quinque graſſatores, inuocantem ſe S. Ignatius defendit.

X C II.